Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XI.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

praedictionibus alteram nova, alteram deinceps
eventus excepit. Vix, qui aderant, è templo ex-
cesserant, cum navis illa repentè comparuit,
mirantibus omnibus, et Xaverium tanquam divi-
num hominem intuentibus. Hospes verò (: uti
postea cognitum est :) paucis diebus, quibus
Malacam venerat, cum lignatum isset in syl-
vam, à latronibus interfectus periit, quod Fran-
cisca causa immaturae mortis fuisset. At Xa-
verius, haud ignarus sibi propediem è vitâ mi-
grandum, id ipsum familiaribus praedixit, non
admirabili magis, quàm salubri ratione. In
circulo Lusitanorum cum esset, Numerum inite,
inquit, eorum, qui hic sumus: nam intra an-
num plerique nostrûm moriemur. Vaticina-
tio verior fuit quàm laetior. Namque è septem
qui tum aderant, quinque eo anno fuere mor-
tui, ex quibus ipsemet Xaverius fuit, haud
dubiè imminentis sibi mortis & gnarus et vates.
Et iisdem ferè diebus Franciscum, divinitus mor-
talitatis oblitum, ingens Dei visendi cupido ce-
pit, haud leve proximae beatitudinis pignus:
Itaque in epistola quadam scripsit, tametsi
ad id tempus vitam sibi suppeditari optasset,
ad Christi obsequium, Christianique nominis pro-
pagationem, tamen iam eos igniculos ardenti
divinae Majestatis visendae fruendaeque desiderio
refrixisse. Sanctissimè moritur

Cap. XI.

In hospitalis diversorii hospitis necessitatem
imposuit Xaverio victus emendicandi. Eoque gra-
vior cum inopia vexavit, quo arctiora omnibus tum
Lusitanorum custodiae fecerant, ne quis annonam ex
Sinarum finibus exportaret, intentiore caventes
cura

Xaverio emendicato cibo vitam tolerat.

cura. Quod ille incommodum, Evangelicæ pau-
pertatis magis quam suæ necessitatis memor
libentissimè perferebat. Itaque novum hospitem
nequaquam sibi quærendum, sed precario victu
defungendum existimavit. Verum etsi animus
patiendi avidus fortiter occurrebat tantis
rerum omnium difficultatibus incommodisque;
corpus tamen, utpote jam confectum ætate, assi-
duis laboribus & subito recenti morbo,
ex quo nondum satis convaluerat, necessariò
frangebatur. Ad hæc angebant eum ingentes
animi moræ, quas ex desiderio suæ in Sinas
profectionis capiebat. Itaque æger non cor- Recidit in morbum
poris solum, sed etiam animi, cum petijsset
animæ suæ ut moreretur, XII. Kal. Decembris
recidit in morbum. Missæ sacrificium pro mor-
tuis fecerat, cum mortifera illum febris invasit,
quæ aditum ei ad æternam vitam aperiret.
Igitur cum febri ad navim, qua advectus
erat, recipit se, simul visendi de more ægros,
simul inter eos diversandi studio. Sed tertio
decimo die ingravescens morbus, cum jacta-
tionem navis ferre non valeret, remigrare eo
coëgit in terram. Lusitanus igitur quidam
talem virum misere febri æstuantem, jacentemque
in publico conspicatus, misericordiaque captus, ex- Tugurio excipi-
templò eum benignè invitat hospitio, ac domum tur à Lusitano
suam (: ea erat deserto in colle casa vectius quam
domus :) deductum pro rerum inopia liberali-
ter tractat, tum ei saluti consulens rogat atque
obsecrat, ut incidi sibi patiatur venam. Et ha-
nerius, quanquam non ignarus, quales tandem
medicos

medicus deserta haberet insula, tamen ait, se
Dicto audiens est medicis in rebus omnibus, quae ad curationem corporis sui
pertinerent, omnino in medentium fore potestate.
Itaque alacrius sivit, quàm dixit, undecunque obe
dientiae materiam quaerens. Sanguinem misit
non sine spasmis et distensione nervorum.
Morbi dolores Dolorem corporis subsecutum est, fastidium cibo
Cibi fastidium rum omnium; quanquam cibi nulli aegroti idonei
suppetebant, praeter paucas amygdalas, quae à
Lusitano nauarcho traditae, ad eum perlatae sunt
serò. Jam enim cibum adeò fastidiebat, nihil
ut sumere omnino posset. Interim satis gnarus
sibi adesse supremum diem, quae secum [illegible]
illam extulerat, ne per morbi sui occasionem
perirent, in navim referri jussit. Biduo jam me
dia traducto, cum morbus magis magisque in
gravesceret, magis etiam Francisci patientia
ac virtus enituit. Humanis subsidiis omnibus
destitutus intra summam hyemem, in tugurio ventis
atque imbribus pervio jacebat quintum decimum
jam diem, maximoque pestiferae febris jacta
batur aestu. Caeterum incommoda omnia ac
Patientia exi vim morbi aequissimo subibat animo, patien
mia tia autem tanta, ut nihil suprà. Nullum prorsus
ei verbum excipiebatur, aut gravitate morbi
querentis, aut ullas circumstantium opem (ut in
gravibus morbis fieri solet) implorantis; con
traque omnia dicta et gesta erant [illegible]: ut
satis appareret, morbum velut solidae virtutis ae
ternaeque materiam gloriae, ab eo in divini bene
ficij loco numerari. Unum scilicet aegrè ferebat
naturali se vulgarique morte extingui in lectulo,
omnibusque expetitam votis martyrij palmam
sibi porò

sibi penè in manibus infringi. Cæterùm haud
ignarus, martyrij clarum donum Dei esse gratui-
tum, quod sæpe negatur expetentibus, aliud a-
gentibus offertur; ad divinæ providentiæ ratio-
nem animum composuit suum, tam insigni bene-
ficio se indignum existimans. Invaluit mali vehe-
mentior penitus insitam Francisci sanctimoniam
declaravit. Namque ut in cæteris, cum urgentur
morbo, tum maximè vitiosa se prodit natura,
ita in Francisco tum præcipuè solida atque e-
gregia pietas emicabat. Quippe eadem pro-
pemodum faciebat moribundus, quæ sanus facere
consueverat: nunc, defixo in cælum oculorum ob-
tutu, læta fronte ac vultu cum Christo Do-
mino, quasi adesset, colloquens; nunc Psal-
morum versus piè admodum usurpans, illos
itidemque illas iterans voces, JESU fili David,
miserere mei: tu autem peccatorum meorum
miserere. Mater Dei, memento mei. Hisce a- Discedit e vita
liisque ejusmodi vocibus biduum extraxit.
Aderat iam illi suprema hora. Igitur Christi
crucifixi effigiem manu tenens, intentisque oculis
intuens, crebros edere gemitus, et subinde suc-
clamare, JESU Deus cordis mei, lacrymas pre-
cibus miscens, donec cum voce pariter ac vita
defecit. Ita ad extremum usque spiritum for-
tissimè cum morbo ac morte luctatus, quarto
Nonas Decembris (qui dies S. Bibianæ vir-
gini sacer est) JESUM et Mariam sæpius
inclamans, æquissimo animo obdormivit in
Domino: atque ad eos ipsos, quos vivus in
visceribus, moriens in ore semper habuerat, mi-
gravit in cælum. Vultusque adeo hilaris mansit ac
lætus

latur, et species ipsa corporis animi beatitudinem indicaret. Decessit autem natus circiter LV. decennio iam expleto post suum in Indiã adventum, anno post Christum natum MDLII. vir planè admirabilis cum ceteris virtutibus, tum verò incredibili animi magnitudine studioque convertendorum Ethnicorum. Nullũ unquam laborem aut discrimen Dei causa recusavit: et Indorum finitimarumque gentiũ salute non contentus, omnem Orientem complexus est caritate illa, cui nimis angustus ad benemerendum orbis terræ videbatur. Itaque Evangelio ac Societate toto penè Oriente disseminatis, in ipsa cura ac meditatione Cantonij portus petendi, defunctus huius vitæ fluctibus, æternæ felicitatis tenuit portum, Sinas præsentibus apud Deum precibus adiuturus. Nec verò dubitandum est, quin eius iam beati assiduæ ad Deum preces aditum in Sinas patefecerint non tantùm Societati IESV, sed Lusitanis mercatoribus, Christianæque religioni.

Mortuus aditum patefecit in Sinas

Nam paulo post Francisci obitum ad Cantonii portum accedendi, ibique commercij causa commorandi, vulgò facta copia est Lusitanis: Eaque opinio fuit, Xaverium suis precibus, obseratam Sinarum fores aperuisse. Annis autem post Francisci excessum circiter XXX remissa paulisper à Sinis finium custodia, Patres aliquot è Societate IESV, Francisci virtutis æmuli, aliquando penetrarunt in Sinas, ibique Deo propitio Christianæ religionis fundamenta iecerunt

Viva